Timendi enim essent hi qui mittebantur si in fide et opere deo
omnipotenti placuissent. Qui autem increduli et subuerso-
res sunt in suis sermonibus derogantes timendi
non sunt. Quia stultum ualde est si illis placere quęri-
mus quos non placere deo scimus. Ideo boni timendi sunt
ne offendantur ne forte per illos ille prouocetur ad iram qui eorum
corda semper inhabitat. Nam sicut superius dictum est si
malos offendimus timere nemini debemus quia illis
nostra accio displicet quibus non iusticia sed error placet. Quid
ergo timendum est si nobis ingrati sunt qui deo amabiles
non sunt. Inpauidus itaque peccator est et numquam timendus
quia dominus exasperatus est. Timeri enim homo debuerat si
ipse auctorem omnium ut homo timuisset. Nam qui racionis sensum
ad timorem dei non habuit tanto in nullo timendus est quanto
hoc quod esse debuit non est. Unde in eius quippe ore scriptu-
ra sacra dulcis est et uite uiscera mandatis illius replentur
quia ei suauis est adloquendum cui interius ipsa ad uiuendum
fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet cuius uita reproba intra
conscienciam remordet.

esse
et uspe...
eos solum
qui fide domin...
usque ad exitum...